



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Ioannis Papae XX. Ad Episcopvm Pragensem. De processu
Ioannis papae contra Ludouicum regem Romanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

lectionem exactionemque huiusmodi fuerint deputati, quiq[ue] defecerint in solutione dictæ decimæ in terminis supradictis, vel in collectione & exactione huiusmodi fraudem forsitan vel malitiam adhibuerint, excommunicationis sententiam auctoritate præsentium promulgamus: a qua post satisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus episcopis, excommunicationis sententia non ligatum, gratiam & communionem apostolicæ sedis habentem, facta sibi fide de satisfactione huiusmodi, possint absolutionis beneficium obtinere. Datum Auinione Kalendis Iunii, pontificatus nostri anno nono.

E P I S T O L A VI.

I O A N N I S P A P Æ XX.

AD EPISCOPVM PRAGENSEM.

De processu Ioannis papæ contra Ludouicum regem
Romanorum.

*Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri episcopo
Pragensi, salutem & apostolicam benedictionem.*

Ad obuiandum damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, excommunicati hæretici & schismatici ausib[us], & fidelium partium Alemanniæ periculis imminentibus occurrentum, pridem certum processum de fratum nostrorum consilio, præsente multitudine copiosa fidelium, habuimus; cuius tenor sequitur in hæc verba. *Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.* Dudum peruersis & damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, & discorditer in regem Romanorum (sicut dicebatur) eleæti, conatibus, quem adeo ambitio cæca succenderat, quod eius electione per sanctā Romanam ecclesiam (ad quam cuiuscumque in regem Romanum eleæti, & electionis de ipso factæ approbatio & admissio, vel reprobatio vel repulsio pertinere dinoscitur) non admissa, nec eius approbata persona, nomen & titulum regium usurpare præsumpsit temere, seque immiscere administrationi regni & imperii, ac hæreticis & rebellibus fauorem, auxilium & consilium contra sanctam ecclesiam impertiri, volentes remediis salubribus obuiare, eumdem Ludouicum per nostrum editum publicum, cum

Bulla Ioannis papæ XX. contra Ludouicū imperatorē.

C iij

ad ipsum tutus nequaquam pateret accessus, sub virtute obedientiae, ac excommunicationis poena, de fratum nostrorum consilio monuimus, ut a praemissis intra certum sibi tunc præfixum terminum omnino desisteret, administrationem eamdem, quo usque per ecclesiam ipsam approbatus & admissus existeret, nullatenus resumpturus, sed reuocaturus penitus (prout esset sibi possibile) cum effectu, quæcumque de facto fuerant per ipsum in contrarium attentata: vniuersis prælatis, & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, nec non cœmunitatibus & vniuersitatibus, sub magnis poenis spiritualibus & temporalibus, distric*t*ius nihil minus iniungendo, ut eidem Ludouico nullatenus circa praemissa parerent vel intenderent quoquo modo, nec eidem præstarent auxilium, consilium super his, vel fauorem: Non obstantibus fidelitatibus, aut aliis quibusuis iuramentis eidem præstitis, aut obligationibus, colligationibus, confoederationibus, societatibus, & pactionibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum cum ipso initis, etiamsi essent iuramentis vel adiectione poenarum vallatae: quæ omnia nulla, cassa & irrita esse de fratum eorumdem consilio declarauimus; quatenus de facto processerant, nulla, cassa, & irrita duximus declaranda. Et quia prædictus Ludouicus huiusmodi & aliis diuersis motionibus, mandatis, & præceptis nostris parere contempnit, damnabiliter deteriora (tamquam datus in sensum reprobum) iugiter committendo, primo excommunicationis sententia innodatus extitit, ac subsequenter culpis ipsius excrescentibus, & contumaciis eius adiunctis, iure priuatus, si quod sibi ex electione prædicta fuerat ad regnum vel imperium quomodolibet acquisitum. Deinde vero eo excessus excessibus cumulante, ducatu Bauariae, ac omnibus priuilegiis, tam apostolicis, quam imperialibus, ac bonis & feudis omnibus, quæ ab eadem Roma vel quibusuis aliis ecclesiis, aut imperio obtinebat, per diuersos processus nostros diuersis temporibus habitos, de fratum eorumdem consilio, iusto iudicio nudatus extitit & priuatus. Et demum, quia Pharaonis imitatus duritiam, & contemnens omnem sanctæ matris ecclesiæ disciplinam, nulla correctionis ostendit indicia, sed potius

hæreticis & hæreticalibus intendens dogmatibus, ac hæreticos quos in suum admisit consortium, eorumque hæreses & errores defendendo, se ostendit hæreticum manifeste, debit is seruatis solennitatibus, primo fautor hæretorum declaratus, & subsequenter de crimine hæresis fuit sententialiter & publice per nos de ipsorum fratrum consilio condemnatus. Postmodum vero idem Ludouicus præmissis excessibus & criminibus detestabilibus non contentus, sed tamquam obstinatus in malum, & velut demersus in desperationis laqueum, cōtinue conatus suos dirigens ad peiora, imperialis solium dignitatis de facto, non sine magna infania & temeritate damnabili, usurpare præsumpsit, se ad illud per illos quibus non competebat, faciens, ac si ius sibi competeteret, coronari, & ad offendendum ecclesiam sanctam Dei, eiusque fideles & deuotos, in Italiæ partibus, (in quibus atq[ue] nefando contra prohibitionem remansit ecclesiæ) nihilo minus se attingens, nonnullas ciuitates & loca partium prædictarum, quæ si b[ea]ti non adhæserant, deuastauit horribiliter & immaniter, ac nonnulla ex ipsis ad tantam inopia & paupertatis egestatem deduxit, quod etiam per tractum longissimi temporis adiicere non potuerunt ut resurgent. Iura insuper & bona imperii dilacerando continue, deuotos & fideles ecclesiæ persequendo crudeliter, & quantum in eo fuit, de illis partibus effugando; & demum nequitiaæ suæ virus conceptum euomens, ad subuertendum prorsus fidem catholicam, & scindendum dominicam inconsutilem tunicam, in diuinæ maiestatis opprobrium, totiusque cœtus fidelium scandalum, periculum & contemptum, execrandis factionibus velut membrum satanæ se disponsens, associatis sibi quibusdam suis nequam complicibus, Petrum de Coruaria, virum vtique scandalosum & perfidum (qui olim dimissa vxore sua legitima, cui pluribus annis tam in lecto, quam in mensa cohabitauerat, fratrum Minorum assumens præter vxoris eiusdem consensum habitum, & pro fratre Minore se gerens; qui que ministro suo prouinciali Romano inobediens, per ipsum fuit prouniciatus in excommunicationis incidisse sententiam, mancipandus carceri) in antipapam assumpsit, procurans quod idem Petrus sic delusorie & damnabiliter in anti-

papam assumptus , pseudocardinales & notarios , ac officiales alios iuxta morem quem seruat Romana curia, constitueret , aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda ; synagogam autem huiusmodi diebus congregatam aliquibus , virtutum Dominus misericorditer subiit dissipavit. Nos qui omnia per eosdem Ludouicum & Petrum attentata circa præmissa, vel præmissorum occasionem , vel eorumdem aliqua de fratum eorumdem consilio, nulla, cassa , & irrita merito duximus declaranda ; præfatum Ludouicum tam ex prædictis , quam aliis diuersis capitulis , multis respersum hæresibus , tamquam hæreticum & schismaticum manifestum, de hæresi & schismate , de fratum ipsorum consilio nihilo minus condemnantes, aduersus eum pœnas infligendo varias , & etiam declarando ipsum incurrisse infictas, & comminata, sicut in diuersis processibus nostris supradictis de prædictorum fratum consilio solemnitatem habitis , plenius continetur. Sane quod fide digna multorum relatio ad nostrum nouiter deduxit auditum, quod idem Ludouicus, nondum in eo igne auaritiae & ambitionis extincto , sed potius flatu diabolico inflammatus, ad ciuitatem contulit Tridentinam , vbi suis complicibus conuocatis , satagit ordinare , quod sicut in partibus Italiae supradictis iura usurpauit imperii, fideles turbauit , eorumque deuorauit substantias , & consumpsit ; sic & in Alemanniæ partibus damnandum suum in hac parte desiderium valeat adimplere , ac varios officiales vel ministros ad easdem partes Alemanniæ disposuit propter hoc destinare : Nos tantis malis & periculis iustis obuiare remedii cupientes, præfatum Ludouicum per hoc editum nostrum publicum , cum ad eum pro faciendis sibi monitionibus & inhibitionibus huiusmodi non sit tutus accessus , moraque pericula varia comminetur , præsente hac multitudine copiosa fidelium monemos , & eidem sub excommunicationis pœna, nec non sub pœnis aliis tam spiritualibus , quam temporalibus in eudem infictis haec tenus , (quas pro repetitis haberi volumus , quibusque ipsum subiacere decreuimus, si contrarium fecerit , ipso facto) inhibemus & mandamus expresse , ne vterius de administratione regni Romani vel imperii se quomodolibet intromittat , nec se regem vel imperia-

peratorem nominet , nec ab aliis faciat , quantum in eo fuerit , nominari ; nec sub nomine huiusmodi vel alio quo- cumque , pro dictorum regni & imperii negotiis , ad Ale- manniæ vel alias partes alias , aliquem vel alios destina- re præsumat ; nec vicarius , vel alia quæcumque officia , quibus suis nominibus nuncupentur , concedat , seu com- mittat alicui vel aliquibus , nec etiam in illis partibus vel aliis iura vel bona regni vel imperii quomodolibet occu- pet vel pertractet , fidelesque non turbet ecclesiæ & impe- riæ , aut molestet . Vniuersis nihilo minus & singulis præ- latis & personis ecclesiasticis , sacerdotalibus & regularibus , cuiuscumque præminentia , dignitatis , ordinis , status vel conditionis existant , etiamsi patriarchali , pontificali , aut maiori seu inferiori præfulgeant dignitate , nec non regi- bus , ducibus , principibus , marchionibus , comitibus , baronibus , nobilibus , potestatibus , capitaneis , rectoribus , & aliis dominis temporalibus , aliisque personis sin- gularibus quibuscumque , ac communitatibus , vniuersi- tatis , ciuitatibus , castris , opidis , villis & locis , sub ex- communicationis in personas singulares , & interdicti in terras , ciuitates , castra , opida , & loca ipsorum , ac vni- ueritatis , communitates & collegia , nec non priuatio- nis dignitatum , personatum , officiorum & beneficio- rum ecclesiasticorum dictorum prælatorum & persona- rum ecclesiasticarum , ac tam illorum , quam aliquorum quorumcumque priuilegiorum apostolicorum & impe- rialium , feudorum , bonorum , honorum , officiorum , quæ a Romanis vel ecclesiis aliis , seu imperio obtinet , ac libertatum & immunitatum quarumlibet poenis , inhibe- mus distictius , & mandamus , ne vicarius , vel quod- cumque aliud officium , vel administrationem huiusmodi , quocumque nomine nuncupetur , recipiant ab eodem , vel alio , seu aliis , eius auctoritate vel nomine , vel man- dato ; & si forsan officium vel administrationem huiusmo- di receperunt , statim illud vel illam , postquam præsens processus ad eorum notitiam peruenierit , vel per eos ste- terit , quo minus peruenire potuerit , dimittere non post- ponant , illud vel illam nullatenus ulterius resumpturi : neve præfato Ludouico aut complicibus , fautoribus , vi- cariis , ministris vel officialibus eiusdem quomodocum-

Concil. Tom. 29.

D

que nuncupentur , pareant in aliquo , vel intendant , nec eos , vel aliquem ipsorum recipient vel admittant , aut de iuribus & prouentibus quibuscumque ad regnum Romanum vel imperium spectantibus respondere , vel alias eis impendere auxilium , consilium vel fauorem , direc̄te vel indirec̄te , publice vel occulte , pr̄sumant . Alioquin personas singulares quascumque ecclesiasticas & sacerdtales , cuiuscumque sint pr̄eminentiae , conditionis & status , ecclesiastici vel mundani , excommunicationis ; terras vero , ciuitates , castra , opida , & loca , nec non vniuersitates , communitates & collegia , quæ contra inhibitionem & mandatum nostrum huiusmodi aliquid facere vel attentare temere pr̄sumperunt , interdicti sententias , quas ex nunc proferimus ; nec non personas ecclesiasticas , (pr̄ter patriarchas , archiepiscopos & episcopos) priuationis omnium dignitatum , personatum , & aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum , cum cura vel sine cura , & inhabilitationis poenam ad ea & similia in posterum obtainenda , incurrire volumus ipso facto : ad priuationem dignitatum & pr̄laturarū dictorum patriarcharum , archiepiscoporum & episcoporum , ac inhibitionem ad ea & similia obtainenda , nec non [nec] priuilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium , ac feudorum , bonorum , honorum , libertatum , quæ ipsi & quicumque alii clerci vel laici , a Romana , vel quibusvis aliis ecclesiis , seu imperio quomodolibet obtinent , ac libertatum & immunitatum , tam contra ipsas , quam alias quascumque personas ecclesiasticas & sacerdtales , cuiuscumque status vel conditionis existant , & alias spirituales & temporales poenas & sententias , de quibus nobis videbitur , infligendas seu infictas , declarandas iuxta delictum , contumaciam & excessum cuiuslibet , si quando , & quotiens opportunum cognoverimus , communiter vel diuīsim , absque monitione & citatione alia nos processuros apertius pr̄dicentes ; non obstantibus fidelitat̄is , & quibusvis aliis iuramentis , per quæ ipsi , vel eorum aliqui , dicto Ludouico se se quomodolibet astrinxissent , ac confederationibus , societatibus , & ligis cum eodem , seu alio vel aliis , nomine suo , vel mandato per quascumque personas singulares , ecclesiasticas vel sacerdtales , aut

communitates seu vniuersitates , collegia , contractis seu initis sub quacumque forma seu expressione verborum ; etiam si pœnarum adiectionibus , aut iuramentorum præstationibus , vel quacumque alia firmitate vallatae fuissent ; vt pote in Dei contumeliam , contra bonum pacis , ac in derogationem honoris & status sanctæ matris ecclæsia , & in præjudicium reipublicæ , animarumque periculum , cum hæretico excommunicato præsumptas temere : quæ omnia per processus nostros alias nulla , cassa & irrita declarauimus , & adhuc etiam declaramus , & quatenus de facto processerunt , cassauimus , annulauimus & irritauimus , & nunc ex superabundanti cassamus , annullamus & irritamus ; etiam si post dictos processus aliqua talia fuerint attentata , iuramenta dissoluentes huiusmodi , & poenas omnes & singulas super prædictis vel ea tangentibus adiectas quomodolibet relaxantes de plenitudine potestatis . Volumus autem , & auctoritate apostolica nihilo minus decernentes , quod processus noster huiusmodi præfatum Ludouicum , & alios quos tangere dinoscitur , apprehendat & artet , ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus & intimatus solemnitatem extitisset , constitutione quacumque contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante . Ut autem processus noster huiusmodi , & omnia in eodem contenta ad eiusdem Ludouici & aliorum quorum interest , communem notitiam deducantur , chartas sive membranas processum continentis eumdem , in eodem , Auinione appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus , quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt ; vt idem Ludouicus , & alii quos processus ipse contingit , nullam possint excusationem prætendere , quod ad eos non peruenerit , vel quod ignorarint eumdem : cum non sit verisimile , remanere quoad ipsos incognitum vel occultum , quod tam patenter omnibus publicatur . Datum Auinione quinto Kalendas Februarii , pontificatus nostri anno 14. Volentes itaque dictum processum & contenta in eo , vt plenius innotescant partium earumdem fidelibus ; ac ipsi , ne per eumdem Ludouicum , siuosque sequaces , complices & ministros infician-

Concil. Tom. 29.

D ij

tur, decipientur, aut opprimantur, seu pœnis & sententiis per processum ipsum infictis & comminatis inuoluantur, sibi prouidere valeant cautius, & ne prætendere super his valeant ignorantiam, in eisdem partibus solenniter publicari; fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ distictius iniungendo mandamus, quantum per te vel alium, seu alios religiosos & sæculares, de quibus tibi videbitur, processum eumdem, & omnia, & singula que continentur in eo, in locis & ecclesiis tuarum ciuitatis & dioceſeos, de quibus expedire videbis, eis expositis in vulgari, nihilo minus ut clarius intelligentur, publicare solenniter, ipsumque Ludouicum excommunicatum, hæreticum & schismaticum, singulis diebus festiuis & dominicis publice studeas nuntiare: Nos de publicatione huiusmodi per instrumenta publica, principium & finem præsentium continentia, redditurus quantocius poteris nihilo minus certiores. Datum Auinione tertio Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno XIV.

C O N C I L I V M R A V E N N A T E IV.

A N N O
C H R I S T I
1317.
C E L E B R A T V M B O N O N I Æ,
Anno Domini MCCCXVII. tempore Ioannis papæ XX.

T I T V L I C A P I T V L O R V M .

- I. *Quod episcopus ponat æconomum ad custodiā rerum vacantium ecclesiarum.*
- II. *Quod nullus presumat in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci sibi fuerit animarum cura commissa.*
- III. *Quod quilibet se faciat promovēri infra annum ad ordinem, quem requirit beneficium suum.*
- IV. *De vita & honestate clericorum, & ornatu eorum.*
- V. *Quod nullus de cetero recipiatur in canonicum cathedralis ecclesie, vel in monachum, seu fratrem alicuius monasterii, seu re-*
- gularis ecclesie, sine licentia speciali sui ordinarii.*
- VI. *Quod nullus recipiatur in aliquo monasterio, seu regulari loco, per potentiam laicorum.*
- VII. *De denuntiatione sienda metropolitanō de beneficiis vacantibus, ad eum deuolutis.*
- VIII. *Quod certus canonicorum numerus statuatur in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, ubi non est ab antiquo statutus.*
- IX. *De clericis non residentibus.*
- X. *De quotidianis distributionibus.*
- XI. *De censibus & collectis imponendis.*